



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii  
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ, 1659**

Nota IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39536**

calumniâ est: à verò tua conjectura longè aberras: nihil enim piis & doctis hominibus, in tuo Arnaldo, præter errores displicuit. Sed quo tandem cæstro percitus in optimates, scilicet Ecclesiasticos, Episcopos, & Romanum Pontificem furis? quibus errorum, ignorantiam, & quod pejus est, in re tam seria, tantique momenti, jocosum & ludendi libidinem affingis. Erit aliquando, qui os illud tuum infrunitum, & stylum effranum castiget.

## N O T A I V.

**H**ic novos Thomistas in tuas partes trahere videris: quo eventu, mox dicam. Gratiam, inquis, efficacem mordicus tuentur, & quandam aliam admittunt, quam sufficientem vocant, cui tamen sine efficaci nunquam consentitur: tum addis, vocabulum illud gratiæ sufficientis vix apud antiquos reperiri: Moyonium demum, eiusque distinctiones irrides.\* Quod novos Thomistas ab antiquioribus discernis, doctis illis hominibus injuriùm est, qui à D. Thoma discedere videri nolunt. Sed, mi homo, Iansenianam causam tibi creditam prodis, accedisque partibus Iesuitarum, quos Thomistis probè reconciliasti. Quis enim Iesuitas inter gratiam efficacem non admittat? Quis sufficientem, per se solam, ad actum prodire unquam concedat? quod Thomistis hac in parte attribuis, Jesuitæ omnes tenent. O te scelicem & industrium conciliatorem! qui litem hanc composuisti, quam vel ipsi Rom. Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. componere olim frustra tentarunt. Vocabulum gratiæ sufficientis apud Antiquos non reperis. Sunt tamen, qui reperiant. Tu vide sis auctores, qui de illa ex professo scripsere. Immò D. Thomas 1. 2. qu.

\* Pag. 12.

106. art. 2. ad 2. *auxilii sufficientis* expressam mentionem facit. Moynii distinctiones explodis, quia illas non capis. Mirabile est quorundam hominum ingenium, quibus solemne est, ea, quæ ipsi nesciunt, despiciari: sed ignorantiam suam palam faciunt, dum eam hac arte operire conantur.

## In secundam Epistolam.

### N O T A I.

**H**ic gratiam sufficientem explodis, novum *Molinistarum inventum*, *meram Vocem*, prætereaque nihil, titulum sine re, larvam & umbram: \* subungere poteris cum Jansenio, monstrum & chimæram; cum Petro Martyre, humanum commentum, & Pelagianum perfugium. Hæc est illa gratia ab omnibus Catholicis admissa, ab hæreticis dumtaxat negata, quos Ducem in hoc Calvinum secutos esse, Duvallius Doctor Sorbonicus docet tom. 1. tract. de grat. quæst. 5. art. 1. Vis autem à Molinistis eam gratiam sufficientem adstrui, quæ suum aliquando effectum fortiatur. O gravem, ô insignem Theologum!

Tum in Thomistas, qui hanc gratiam approbant, ac potissimum in Patrem Nicolai, ejusque *familiam* stylum exeris; quod ii, neglecta ordinis sui doctrina, inita cum Jesuitis conjuratione, à S. Thomæ placitis desciverint. Id unum præsertim eniti vidêris, ut Thomistas concites adversus Jesuitas. sed ut in nonnullis ab iis dissentiant, ita cum iis in damnandis vestris erroribus probè consentiant. Crede mihi Wilhelme, Thomistæ gratiam sufficientem admittunt,

\* Pag. 22.